


Readings from  
**Latin Verse**

---

**C. C. Bushnell**

**Allyn and Bacon**



ifornia  
onal  
ity

PA	
6121	Bushnell--
A7B9	readings
	from Latin
	verse.
<del>6121</del>	<del>6121</del>
OCT 7	
<del>6121</del>	<del>6121</del>

**Southern Branch**  
**of the**  
**University of California**  
**Los Angeles**

Form L 1

PA  
 6121  
 A7B9

This book is DUE on the last date stamped below

MAR 2 1926

*for*  
*for*

MAY 5 1947

*for*

LD URL JUN 9 1965

RECEIVED  
LD-URL

MAY 27 1965


AM

7-4

4-9

PM

9-10



# READINGS FROM LATIN VERSE

WITH NOTES

BY

CURTIS C. BUSHNELL, PH.D.

PROFESSOR OF CLASSICS IN SYRACUSE UNIVERSITY



**Boston**

ALLYN AND BACON

1908

49265

COPYRIGHT, 1908, BY  
CURTIS C. BUSHNELL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

9A

6121

A739

b2-b7c(1)

FRANCISCO • SMALLEY

DECANO

COMES • ET • AMICVS

HVNC • LIBELLVM

D • D





## INTRODUCTORY NOTE.

THIS little book has been prepared to meet the needs of my own classes. The selections have been made primarily with reference to their literary merit, but also with the intention of introducing the student to a number of authors not usually read in the earlier portion of the college course.

The notes are greatly indebted to the works named under the heading, 'Reference.'

I am under obligations to Professor E. C. Morris of Syracuse University for the correction of the manuscript of the notes, and to Mr. N. L. Willey, Syracuse University, 1908, for assistance in proof-reading.

C. C. B.

SYRACUSE, N.Y.

25 1928

Marrick

Gift

Digitized by the Internet Archive  
in 2007 with funding from  
Microsoft Corporation

Ennius.

Livius was the first.

Roman poetry began 240 B.C.

Plautus the great comedian.

Narris - "Kullum Punicum"

## READINGS FROM LATIN VERSE.

### CLASSICAL LATIN POETRY.

#### I. ENNIUS.

*Look up in Ennius*

##### FROM THE ANNALS.

##### 1. The Lament for Romulus.

Pectora fida tenet desiderium: simul inter  
sese sic memorant, 'o Romule, Romule die,  
qualem te patriae custodem di genuerunt!  
O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum,  
tu produxisti nos intra luminis oras.'

5

##### 2. Pyrrhus dismissing the Prisoners without Ransom.

Nec mi aurum posco nec mi pretium dederitis:  
nec cauponantes bellum sed belligerantes  
ferro, non auro, vitam cernamus utrique.  
Vosne velit an me regnare era quidve ferat Fors  
virtute experiamur. Et hoc simul accipe dictum:  
quorum virtuti belli fortuna pepercit  
eorundem libertati me parcere certumst.  
Dono, ducite, doque volentibus cum magnis dis.

5

##### 3. M. Curius.

Quem nemo ferro potuit superare nec auro.

## 4. Q. Fabius Maximus.

Unus homo nobis cunctando restituit rem;  
noenum rumores ponebat ante salutem;  
ergo plusque magisque viri nunc gloria claret.

## 5. The Strength of Rome.

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

FROM THE TRAGEDIES.

*Talmon*

## 6. A Bereaved Father's Fortitude.

Égo cum genui, túm morituros scívi et ei re sústuli.  
Praétereá ad Troiám cum misi ob défendendam Graéciam,  
scíbam me in mortíferum bellum, nón in epulas míttre.

## 7. 'Gods Careless of Mankind.'

Égo deum genus ésse semper díxi et dicam caélitum,  
séd eos non curáre opinor, quíd agat humanúm genus;  
nám si curent, béne bonis sit, mále malis; quod núnc abest.

FROM THE EPIGRAMS.

## 8. Ennius' Epitaph.

Nemo me dacrumis decoret nec funera fletu  
faxit. Cur? Volito vivus per ora virum.

## II. LUCRETIUS.

## 1. 'Things unattempted yet in Prose or Rhyme.'

Nunc age quod superest cognosce et clarius audi.  
Nec me animi fallit quam sint obscura; sed acri  
percussit thyrso laudis spes magna meum cor

*Prose in  
epitaph*

*good of thyrso*

et simul incussit suavem mi pectus amorem *acc. of spes*  
 musarum, quo nunc instinctus mente vigenti *5*  
 avia Pieridum peragro loca nullius ante  
 trita solo. Iuvat integros accedere fontes *cf. Milton,*  
 atque haurire, iuvatque novos decerpere flores *cf. Horace*  
 insignemque meo capiti petere inde coronam  
unde prius nulli *subor dat* velarint tempora musae; *10*  
 primum quod magnis doceo de rebus et artis  
religionum *superstitium* animum nodis exsolvere pergo,  
 deinde quod obscura de re tam Incida pango  
 carmina, musaeo contingens cuncta lepore.

*De Rerum Natura I. 921-934.*

2. The Praise of Epicurus. ✓

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen  
 qui primus potuisti inlustrans commoda vitae,  
 te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc  
ficta pedum pono pressis vestigia signis,  
 non ita certandi cupidus quam propter amorem *5*  
 quod te imitari aveo; quid enim contendat hirundo  
 cyncis, aut quidnam tremulis facere artibus haedi  
 consimile in cursu possint et fortis equi vis?  
 Tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis  
 suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis, *10*  
 floriferis ut apes in saltibus omnia libant,  
 omnia nos itidem depascimur aurea dicta,  
 aurea, perpetua semper dignissima vita.  
 Nam simul ac ratio tua coepit vociferari  
 naturam rerum, divina mente coorta, *15*  
 diffugiunt animi terrores, moenia mundi  
 discedunt, totum video per inane geri res.  
 Apparet divum numen sedesque quietae  
 quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis

aspergunt neque nix acri concreta pruina  
cana cadens violat semperque innubilus aether  
integit, et large diffuso lumine rident. 20

Omnia suppeditat porro natura neque ulla  
res animi pacem delibat tempore in ullo.

At contra nusquam apparent Acherusia templa 25  
nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,  
sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur.

His ibi me rebus quaedam divina voluptas  
percipit adque horror, quod sic natura tua vi  
tam manifesta patens ex omni parte resecta est. 30

*Id. III. 1-30.*

### 3. The Changing Seasons.

It ver et Venus, et veris praenuntius ante  
pennatus graditur zephyrus, vestigia propter  
Flora quibus mater praespargens ante viai  
cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet. 5

Inde loci sequitur calor aridus et comes una  
pulverulenta Ceres et etesia Habra aquilonum.

Inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan.

Inde aliae tempestates ventique secuntur,  
altitonans Volturnus et auster fulmine pollens.

Tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem, 10  
prodit hiemps, sequitur crepitans hanc dentibus albor.

√ ∙

*Id. V. 736-746.*

### 4. The Origin of Superstition.

Ergo perfugium sibi habebant omnia divis  
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.

In caeloque deum sedes et templa locarunt,  
per caelum volvi quia nox et luna videtur,  
luna dies et nox et noctis signa severa 5

noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes,  
 nubila sol imbres nix venti fulmina grando  
 et rapidi fremitus et murmura magna minarum.

O genus infelix humanum, talia divis  
 cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas! 10  
 quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis  
 volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!  
 Nec pietas ullast velatum saepe videri  
 vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras  
 nec procumbere humi prostratum et pandere palmas 15  
 ante deum delubra nec aras sanguine multo  
 spargere quadrupedum nec votis nectere vota,  
 sed mage pacata posse omnia mente tueri.  
 Nam cum suspicimus magni caelestia mundi  
 templa, super stellisque micantibus aethera fixum, 20  
 et venit in mentem solis lunaeque viarum,  
 tunc aliis oppressa malis in pectora cura  
 illa quoque expergefactum caput erigere inquit,  
 nequae forte deum nobis inmensa potestas  
 sit, vario motu quae candida sidera verset. 25  
 Temptat enim dubiam mentem rationis egestas,  
 ecquaenam fuerit mundi genitalis origo,  
 et simul ecquae sit finis, quoad moenia mundi  
 solliciti motus hunc possint ferre laborem,  
 an divinitus aeterna donata salute 30  
 perpetuo possint aevi labentia tractu  
 inmensi validas aevi contemnere viris.  
 Praeterea cui non animus formidine divum  
 contrahitur, cui non correpunt membra pavore,  
 fulminis horribili cum plaga torrida tellus 35  
 contremitt et magnum percurreunt murmura caelum?  
 Non populi gentesque tremunt, regesque superbi  
 corripunt divum percussi membra timore,

nequid ob admissum foede dictumve superbe  
 poenarum grave sit solvendi tempus adultum? 40  
 Denique sub pedibus tellus cum tota vacillat  
 concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur,  
 quid mirum si se temnunt mortalia saecla  
 atque potestatis magnas mirasque relinquunt  
 in rebus viris divum, quae cuncta gubernent? 45

*Id. V. 1186-1225, 1236-1240.*

### III. CATULLUS.

#### 1. Exposed to a Draft.

*a poetry  
 out that  
 is just a  
 x. Always  
 usus hi  
 rings.*

Furi, villula nostra non ad Austri  
 flatus oppositast neque ad Favoni  
 nec saevi Boreae aut Apeliotae,  
 verum ad milia quindecim et ducentos.  
 O ventum horribilem atque pestilentem! 5

*Died young.  
 In comparison  
 (kato).*

*XXVI.*

#### 2. An Affected Pronunciation.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet  
 dicere, et insidias Arrius hinsidias,  
 et tum mirifice sperabat se esse locutum,  
 cum quantum poterat dixerat hinsidias.  
 Credo, sic mater, sic liber avonculus eius, 5  
 sic maternus avos dixerat atque avia.  
 Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:  
 audibant eadem haec leniter et leviter,  
 nec sibi postilla metuebant talia verba,  
 cum subito adfertur nuntius horribilis, 10  
 Ionios fluctus, postquam illuc Arrins isset,  
 iam non Ionios esse, sed Hionios.

*LXXXIV.*



3. The Dead Pet.

Lugete, o Veneres Cupidinesque  
 et quantum est hominum venustiorum !  
 Passer mortuus est meae puellae,  
 passer, deliciae meae puellae,  
 quem plus illa oculis suis amabat ; 5  
 nam mellitus erat, suamque norat  
 ipsam tam bene quam puella matrem,  
 nec sese a gremio illius movebat  
 sed circumsiliens modo huc modo illuc  
 ad solam dominam usque pipilabat. 10  
 Qui nunc it per iter tenebricosum  
 illuc unde negant redire quemquam.  
 At vobis male sit, malae tenebrae  
 Orci, quae omnia bella devoratis ;  
 tam bellum mihi passerem abstulistis. 15  
 O factum male ! io miselle passer !  
 Tua nunc opera meae puellae  
 fiendo turgiduli rubent ocelli.

III.

4. Veranius, Welcome !

Verani, omnibus e meis amicis  
 antistans mihi milibus trecentis,  
 venistine domum ad tuos penates  
 fratresque unanimos anumque matrem ?  
 Venisti ! o mihi nuntii beati ! 5  
 Visam te incolumem audiamque Hiberum  
 narrantem loca, facta, nationes,  
 ut mos est tuus, adplicansque collum  
 iucundum os oculosque saviabor.  
 O quantum est hominum beatiorum, 10  
 quid me laetius est beatiusve ?

IX.

## 5. Homeward Bound.

Iam ver egelidos refert tepores,  
iam caeli furor aequinoctialis  
iucundis Zephyri silesceat auris.  
Linquantur Phrygii, Catulle, campi  
Nicaeaeque ager uber aestuosae : 5  
ad claras Asiae volumus urbes.  
Iam mens praetrepidans avet vagari,  
iam laeti studio pedes vigescunt.  
O dulces comitum valete coetus,  
longe quos simul a domo profectos 10  
diversae variae viae reportant.

XLVI.

## 6. Home at Last.

Paene insularum, Sirmio, insularumque  
ocelle, quascumque in liquentibus stagnis  
marique vasto fert uterque Neptunus,  
quam te libenter quamque laetus invisio,  
vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos 5  
liquisse campos et videre te in tuto !  
O quid solutis est beatius curis,  
cum mens onus reponit, ac peregrino  
labore fessi venimus larem ad nostrum  
desideratoque adquiescimus lecto ? 10  
Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.  
Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude :  
gaudete vosque, o Lydiae lacus undae :  
ridete, quidquid est domi cachinnorum.

XXXI.

## 7. Sympathy in Sorrow.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris  
accidere a nostro, Calve, dolore potest,

quo desiderio veteres renovamus amores  
atque olim missas flemus amicitias,  
certe non tanto mors immatura dolori est  
" Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

5

*XCVI.*

8. 'Vita Frater Amabilior.'

Etsi me adsiduo confectum cura dolore  
sevocat a doctis, Ortale, virginibus,  
nec potis est dulcis Musarum expromere fetus  
mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:  
namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris  
pallidulum manans adluit unda pedem,  
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus  
ereptum nostris obterit ex oculis.

5

Nunquam ego te vita frater amabilior  
adspiciam posthac: at certe semper amabo,  
semper maesta tua carmina morte canam,  
qualia sub densis ramorum concinit umbris  
Daulias absumpti fata gemens Ityli:  
sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto  
haec expressa tibi carmina Battiadae,  
ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis  
effluxisse meo forte putes animo.

10

15

*LXV. 1-8, 10-18.*

9. 'Frater, Ave atque Vale.'

Multas per gentes et multa per aequora vectus  
advenio has miseras, frater, ad inferias,  
ut te postremo donarem munere mortis  
et mutam nequiquam adloquerer cinerem,  
quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,  
heu miser indigne frater adempte mihi.

5

Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum  
 tradita sunt tristi munere ad inferias,  
 accipe fraterno multum manantia fletu  
 atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

CI.

10

## IV. VERGIL.

## I. The Tale of Aristaeus.

Quis deus hanc, Musae, quis nobis extudit artem?  
 Unde nova ingressus hominum experientia cepit?  
 Pastor Aristaeus fugiens Peneia Tempe.

amissis, ut fama, apibus morboque fameque,  
 tristis ad extremi sacrum caput adstitit amnis,  
 multa querens, atque hac adfatus voce parentem:

5

mater, Cyrene mater, quae gurgitis huius  
 ima tenes, quid me praeclara stirpe deorum —  
 si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo —  
 invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri  
 pulsus amor? quid me caelum sperare iubebas?

10

En etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem,  
 quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers  
 omnia temptanti extuderat, te matre, relinquo.

Quin age, et ipsa manu felicitis erue silvas,  
 fer stabulis inimicum ignem atque interfice messis,  
 ure sata, et validam in vitis molire bipennem,  
 tanta meae si te ceperunt taedia laudis.

15

At mater sonitum thalamo sub fluminis alti  
 sensit. Eam circum Milesia vellera Nymphae  
 carpebant, hyali saturo fucata colore,

20

Drymoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllodoceque,  
 caesariem effusae nitidam per candida colla,  
 [Nesaeae, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,]

Cydidippeque et flava Lycorias, altera virgo,

25

altera tum primos Lucinae experta labores,  
 Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae,  
 ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae,  
 atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deiopea,  
 et tandem positis velox Arethusa sagittis. 30  
 Inter quas curam Clymene narrabat inanem  
 Volcani, Martisque dolos et dulcia furta,  
 aque Chao densos divom numerabat amores.  
 Carmine quo captae dum fuis mollia pensa  
 devolvunt, iterum maternas inpulit auris 35  
 luctus Aristaei, vitreisque sedilibus omnes  
 obstipuere; sed ante alias Arethusa sorores  
 prospiciens summa flavum caput extulit unda,  
 et procul: O gemitu non frustra exterrita tanto,  
 Cyrene soror, ipse tibi, tua maxuma cura, 40  
 tristis Aristaeus Penei genitoris ad undam  
 stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit.  
 Huic percussa nova mentem formidine mater,  
 Duc, age, duc ad nos; fas illi limina divom  
 tangere, ait. Simul alta iubet discedere late 45  
 flumina, qua iuvenis gressus inferret. At illum  
 curvata in montis faciem circumstetit unda  
 accepitque sinu vasto misitque sub amnem.  
 Iamque domum mirans genetricis et humida regna  
 speluncisque lacus clausos lucosque sonantis 50  
 ibat, et ingenti motu stupefactus aquarum  
 omnia sub magna labentia flumina terra  
 spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,  
 et caput, unde altus primum se erumpit Enipeus,  
 unde pater Tiberinus, et unde Aniena fluente, 55  
 saxosusque sonans Hypanis, Mysusque Caicus,  
 et gemina auratus taurino cornua voltu  
 Eridanus, quo non alius per pingua culta

in mare purpureum violentior effluit amnis.  
 Postquam est in thalami pendentia punice tecta 60  
 perventum, et nati fletus cognovit inanis  
 Cyrene, manibus liquidos dant ordine fontis  
 germanae, tonsisque ferunt mantelia villis;  
 pars epulis onerant mensas, et plena reponunt  
 pocula; Panchaeis adolescent ignibus arae; 65  
 et mater, Cape Maeonii carchesia Bacchi:  
 Oceano libemus, ait. Simul ipsa precatur  
 Oceanumque patrem rerum Nymphasque sorores,  
 centum quae silvas, centum quae flumina servant.  
 Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam, 70  
 ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.  
 Omine quo firmans animum sic incipit ipsa:  
 Est in Carpathio Neptuni gurgite vates  
 caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor 75  
 et iuncto bipedum curru metitur equorum.  
 Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit  
 Pallenen; hunc et Nymphae veneramur et ipse  
 grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,  
 quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur.  
 Quippe ita Neptuno visum est, inmania cuius 80  
 armenta et turpis pascit sub gurgite phocas.  
 Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem  
 expediat morbi causam, eventusque secundet.  
 Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum  
 orando flectes: vim duram et vincula capto 85  
 tende; doli circum haec demum frangentur inanes.  
 Ipsa ego te, medios cum sōl accenderit aestus,  
 cum sitiunt herbae, et pecori iam gratior umbra est,  
 in secreta senis ducam, quo fessus ab undis  
 se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem. 90  
 Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,

tum variae eludent species atque ora ferarum.  
 Fiet enim subito sus horridus, atraque tigris,  
 squamosusque draco, et fulva cervice leaena;  
 aut acrem flammae sonitum dabit, atque ita vinclis 95  
 excidet, aut in aquas tenuis dilapsus abibit.  
 Sed quanto ille magis formas se vertet in omnis,  
 tanto, nate, magis contende tenacia vincla,  
 donec talis erit mutato corpore, qualem .  
 videris, incepto tegeter cum lumina somno. 100

Haec ait, et liquidum ambrosiae diffundit odorem,  
 quo totum nati corpus perduxit; at illi  
 dulcis compositis spiravit crinibus aura,  
 atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens  
 exesi latere in montis, quo plurima vento 105  
 cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,  
 deprensus olim statio tutissima nautis;  
 intus se vasti Proteus tegit obiice saxi.  
 Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha  
 collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit. 110  
 Iam rapidus torrens sitientis Sirius Indos  
 ardebat caelo, et medium sol igneus orbem  
 hauserat; arebant herbae, et cava flumina siccis  
 faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:  
 cum Proteus consueta petens e fluctibus antra 115  
 ibat; eum vasti circum gens humida ponti  
 exsultans rorem late dispergit amarum.  
 Sternunt se somno diversae in litore phocae;  
 ipse, velut stabuli custos in montibus olim,  
 vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit 120  
 auditisque lupos acuunt balatibus agni,  
 considit scopulo medius, numerumque recenset.  
 Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,  
 vix defessa senem passus componere membra,

- cum clamore ruit magno, manicisque iacentem 125  
occupat. Ille suae contra non inmemor artis  
omnia transformat sese in miracula rerum,  
ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.  
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus  
in sese redit, atque hominis tandem ore locutus: 130  
Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras  
iussit adire domos? quidve hinc petis? inquit. At ille:  
Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quicquam;  
sed tu desine velle. Deum praecepta secuti  
venimus, hinc lassis quaesitum oracula rebus. 135  
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa  
ardentis oculos intorsit lumine glauco,  
et graviter fremdens sic fatis ora resolvit:  
Non te nullius exercent numinis irae.  
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus 140  
haud quaquam ob meritum poenas, ni Fata resistant,  
suscitat, et rapta graviter pro coniuge saevit.  
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,  
inmanem ante pedes hydrum moritura puella  
servantem ripas alta non vidit in herba. 145  
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos  
inplerunt montis; flerunt Rhodopeiae arces,  
altaque Pangaea, et Rhesi Mavortia tellus,  
atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.  
Ipsae, cava solans aegrum testudine amorem, 150  
te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,  
te veniente die, te decedente caebat.  
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis,  
et caligantem nigra formidine lucum  
ingressus, Manisque adiit Regemque tremendum, 155  
nesciaque humanis precibus mansuescere corda.  
At cantu commotae Erebi de sedibus imis



umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum,  
 quam multa in foliis avium se milia condunt,  
 vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber, 160  
 matres atque viri, defunctaque corpora vita  
 magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,  
 inpositique rogis iuvenes ante ora parentum ;  
 quos circum limus niger et deformis arundo  
 Cocyti tardaue palus inamabilis unda 165  
 alligat, et noviens Styx interfusa coercet.  
 Quin ipsae stupere domus atque intima Leti  
 Tartara caeruleosque inplexae crinibus anguis  
 Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,  
 atque Ixionii vento rota constitit orbis. 170  
 Iamque pedem referens casus evaserat omnis,  
 redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,  
 pone sequens, — namque hanc dederat Proserpina legem —  
 cum subita incautum dementia cepit amantem,  
 ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes: 175  
 restitit, Eurydicenque suam, iam luce sub ipsa,  
 inmemor, heu ! victusque animi respexit. Ibi omnis  
 effusus labor, atque inmitis rupta tyranni  
 foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.  
 Illa, Quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu, 180  
 quis tantus furor ? En iterum crudelia retro  
 fata vocant, conditque natantia lumina somnus.  
 Iamque vale : feror ingenti circumdata nocte,  
 invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas !  
 Dixit, et ex oculis subito, ceu fumus in auras 185  
 commixtus tenuis, fugit diversa, neque illum,  
 prensantem nequiquam umbras et multa volentem  
 dicere, praeterea vidit ; nec portitor Orci  
 amplius obiectam passus transire paludem.  
 Quid faceret ? quo se rapta bis coniuge ferret ? 190

infest " " narration.

Quo fletu Manis, qua Numina voce moveret ?  
 Illa quidem Stygia nabat iam frigida cymba.  
 Septem illum totos perhibent ex ordine menses  
 rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam  
 flevisse, et gelidis hæc evolvisse sub antris, 195

mulcentem tigris et agentem carmine quercus ;  
 qualis populea maerens philomela sub umbra  
 amissos queritur fetus, quos durus arator  
 observans nido inplumis detraxit ; at illa  
 flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen 200  
 integrat, et maestis late loca questibus inplet.

Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenæi.  
 Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem  
 arvaque Rhipæis numquam viduata pruinis  
 lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis 205  
 dona querens ; spretæ Ciconum quo munere matres  
 inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi  
 discerptum latos iuvenem sparsere per agros.

dum

substantia +

plus  
that

Tum quoque marmorea caput a cervice revolsum  
 gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus 210  
 volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua,  
 Ah miseram Eurydicen ! anima fugiente vocabat ;  
 Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Hæc Proteus, et se iactu dedit æquor in altum,  
 quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit. 215

At non Cyrene ; namque ultro adfata timentem :  
 Nate, licet tristis animo deponere curas.  
 Hæc omnis morbi caussa ; hinc miserabile Nymphae,  
 cum quibus ~~illa~~ choros lucis agitabat in altis,

non mor

Eurydice

exitium misere apibus. Tu munera supplex 220  
 tende, petens pacem, et facilis venerare Napæas ;  
 namque dabunt veniam votis, irasque remittent.  
 Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.

Quattuor eximios praestanti corpore tauros,  
 qui tibi nunc viridis depascunt summa Lycaci, 225  
 delige, et intacta totidem cervice iuvenças.

Quattuor his aras alta ad delubra dearum  
 constitue, et sacrum iugulis <sup>throats</sup> demitte cruorem,  
 corporaque ipsa boum frondoso desere luo.

Post, ubi nona suos Aurora ostenderit ortus, <sup>rays</sup> 230  
<sup>inferna</sup> inferias Orphei Lethæa papavera mittes,  
 et nigram mactabis ovem, lucumque revises;  
 placatam Eurydicen vitula venerabere caesa.

Haud mora; continuo matris praecepta facessit;  
 ad delubra venit, monstratas excitat aras, 235  
 quattuor eximios praestanti corpore tauros  
 ducit, et intacta totidem cervice iuvenças.

Post ubi nona suos Aurora induxerat ortus,  
 inferias Orphei mittit, lucumque revisit. <sup>phenomenon</sup> 240  
 Hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum

aspiciunt, liquefacta boum per viscera toto  
stridere apes utero et ruptis effervere costis,  
 immensasque trahi nubes, iamque arbore summa  
confluere et lentis uvam demittere <sup>on</sup> ramis.

*Georgics IV. 315-558.*

## V. PHAEDRUS.

### i. Prologue.

Aesopus auctor quam materiam repperit,  
 hanc ego polivi versibus senariis.  
 Duplex libelli <sup>function</sup> dōs est: quod risum movet  
 et quod prudenti vitam consilio monet.  
 Calumniari si quis autem voluerit,  
 quod arbores loquantur, non <sup>not merely</sup> tantum ferae, 5  
 fictis iocari nos meminerit fabulis.

*I. Prologus.*

## 2. The Wolf and the Lamb.

Ad rivum eundem lupus et agnus venerant  
 siti compulsi; superior stabat lupus  
 longeque inferior agnus. Tunc fauce improba  
 latro incitatus iurgii causam intulit.  
 Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi  
 aquam bibenti? *wicked fanged robber*  
 Laniger contra timens: *zero + lanes.*  
 Qui possum, quaeso, facere quod quereris, lupe?  
 A te decurrit ad meos haustus liquor.  
 Repulsus ille veritatis viribus:  
 Ante hos sex mensis male, ait, dixisti mihi. 10  
 Respondit agnus: Equidem natus non eram.  
 Pater hercle tuus, ille inquit, maledixit mihi.  
 Atque ita correptum lacerat iniusta nece.  
 Haec propter illos scripta est homines fabula,  
 qui fictis causis innocentes opprimunt. 15

I. 1.

## 3. The Dog, the Meat, and the River; or, Greed its own Punishment.

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.  
 Canis per flumen carnem dum ferret natans,  
 lympharum in speculo vidit simulacrum suum,  
 aliamque praedam ab altero ferri putans  
 eripere voluit: verum decepta aviditas 5  
 et quem tenebat ore dimisit cibum;  
 nec quem petebat potuit adeo adtingere.

I. 4.

## 4. Aesop and the Insolent Fellow.

Successus ad perniciem multos devocat.  
 Aesopo quidam petulans lapidem impegemat.  
 Tanto, inquit, melior! Assem deinde illi dedit,

*Aesop never loses sight of the fact*

transition point between the golden & silver age.

PHAEDRUS.

19

sic prosecutus: Plus non habeo mehercule, sed, unde accipere possis, monstrabo tibi. 5

Venit ecce dives et potens: huic similiter impinge lapidem et dignum accipies praemium.

*at clavis*  
*age* Persuasus ille fecit quod monitus fuit; sed spes fefellit inpudentem audaciam: comprehensus namque poenas persolvit cruce. 10

III. 5.

5. How Castor and Pollux rewarded Simonides.

*how important*  
Quantum valerent inter homines litterae, dixi superius: quantus nunc illis honos a superis sit tributus, tradam memoriae.

Simonides idem ille, de quo rettuli, victori laudem cuidam pyctae ut scriberet, certo conductus pretio secretum petit. 5

Exigua cum frenaret materia impetum, usus poetae more est et licentia atque interposuit gemina Ledae pignera, auctoritatem similis referens gloriae. *Pollex was a boxer.* 10

Opus adprobavit; sed mercedis tertiam accepit partem. Cum relicuam posceret: illi, inquit, reddent, quorum sunt laudis duae.

*at good*  
*time* Verum, ut ne irate te dimissum censeas, ad cenam mihi promitte; cognatos volo hodie invitare, quorum es in numero mihi. 15

Fraudatus quamvis et dolens iniuria, *forgot* (ne male dissimulans gratiam corrumperet, promisit.) Rediit hora dicta, recubuit.

Splendebat hilare potulis convivium, magno adparatu laeta resonabat domus: repente duo cum iuvenes sparsi pulvere, sudore multo diffluentes, corpora 20

Only two writers mentioned here.

humanam supra formam, cuidam servulo  
mandant, ut ad se provocet Simonidem;  
illius interesse, ne faciat moram.

Homo perturbatus excitat Simonidem.

(Unum promorat vix pedem triclinio,  
ruina camarae subito oppressit ceteros)  
nec ulli iuvenes sunt reperti ad ianuam.

Ut est vulgatus ordo narratae rei,  
omnes scierunt numinum praesentiam  
vati dedisse vitam mercedis loco.

IV. 25.

#### 6. The Delphic Oracle.

Utilius nobis quid sit dic, Phoebæ, obsecro,  
qui Delphos et famosum Parnasum incolis.  
Quid est? Sacratae vatis horrescunt comæ,  
tripodes moventur, mugit adytis Religio,  
tremuntque lauri et ipse pallescit dies.

Voces resolvit icta Pytho numine:

Audite, gentes, Delii monitus dei:

Pietatem colite; vota superis reddite;  
patriam, parentes, natos, castas coniuges  
defendite armis, ferroque hostem pellite;  
amicos sublevate; miseris parcite;  
bonis favete, subdolis ite obviam;  
delicta vindicate; castigatè impios;  
punite turpi thalamos qui violant stupro;  
malos cavete; nulli nimium credite.

Haec elocuta concidit virgo furens:

furens profecto, nam quae dixit perdidit.

Appendix 6.

7. The Wit, the Rustic, and the Pig; or, How Prejudice met its  
Deserved Humiliation.

Pravo favore labi mortales solent  
et, pro iudicio dum stant erroris sui,  
ad paenitendum rebus manifestis agi.

Facturus ludos quidam dives nobilis  
proposito cunctos invitavit praemio, 5  
quam quisque posset ut novitatem ostenderet.

Venere artifices laudis ad certamina;  
quos inter scurra, notus urbano sale,  
habere dixit se genus spectaculi,  
quod in theatro numquam prolatum foret. 10

Dispersus rumor civitatem concitat.  
Paulo ante vacua turbam deficiunt loca.  
In scaena vero postquam solus constitit  
sine adparatu, nullis adiutoribus,  
silentium ipsa fecit expectatio. 15

Ille in sinum repente demisit caput  
et sic porcelli vocem est imitatus sua,  
verum ut subesse pallio contenderent  
et excuti iuberent. Quo facto simul  
nihil est repertum, multis onerant laudibus 20  
hominemque plausu prosequuntur maximo.

Hoc vidit fieri rusticus. Non mehercule  
me vincet, inquit: et statim professus est  
idem facturum melius se postridie.  
Fit turba maior. Iam favor mentes tenet 25  
et derisuri, non spectaturi, sedent.

Uterque prodit. Scurra degrunnit prior  
movetque plausus et clamores suscitatur.  
Tunc simulans sese vestimentis rusticus  
porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30  
sed, in priore quia nil compererant, latens)

pervellit aurem vero, quem celaverat,  
 et cum dolore vocem naturae exprimit.  
 Adclamat populus scurram multo similis  
 imitatum, et cogit rusticum trudi foras. 35  
 At ille profert ipsum porcellum e sinu,  
 turpemque aperto pignore errorem probans:  
 En hic declarat, quales sitis iudices!

√u

V. 5.

## VI. SENECA.

### 1. The Rashness of the First Navigators Rebuked.

Audax nimium qui freta primus  
 rate tam fragili perfida rupit  
 terrasque suas post terga videns  
 animam levibus credidit auris,  
 dubioque secans aequora cursu 5  
 potuit tenui fidere ligno,  
 inter vitae mortisque vias  
 nimium gracili limite ducto.

Candida nostri saecula patres  
 videre, procul fraude remota. 10  
 Sua quisque piger litora tangens  
 patrioque senex factus in arvo,  
 parvo dives, nisi quas tulerat  
 natale solum, non norat opes:  
 nondum quisquam sidera norat, 15  
 stellisque quibus pingitur aether  
 non erat usus, nondum pluvias  
 Hyadas poterat vitare ratis,  
 non Oleniae lumina caprae,  
 nec quae sequitur flectitque senex 20  
 Attica tardus plaustra Bootes,



nondum Boreas, nondum Zephyrus  
nomen habebant.

Ausus Tiphys pandere vasto  
carbasa ponto legesque novas  
scribere ventis. 25

Bene dissaepi foedera mundi  
traxit in unum Thessala pinus  
iussitque pati verbera pontum,  
partemque metus fieri nostri  
mare sepositum. 30

Dedit illa graves improba poenas  
per tam longos ducta timores,  
cum duo montes, claustra profundi,  
hinc atque illinc subito impulsu  
velut aethereo generent sonitu,  
spargeret arces nubesque ipsas  
mare deprensam. 35

Palluit audax Tiphys et omnes  
labente manu misit habenas,  
Orpheus tacuit torpente lyra  
ipsaque vocem perdidit Argo. 40

Quid cum Siculi virgo Pelori,  
rabidos utero succincta canes,  
omnes pariter solvit hiatus? 45

Quis non totos horruit artus  
totiens uno latrante malo?  
Quid cum Ausonium dirae pestes  
voce canora mare mulcerent,  
cum Pieria resonans cithara 50

Thracius Orpheus solitam cantu  
retinere rates paene coegit

Sirena sequi? Quod fuit huius  
 pretium cursus? Aurea pellis  
 maiusque mari Medea malum,  
 merces prima digna carina. 55

**Man now Master of the Sea.**

Nunc iam cessit pontus et omnes  
 patitur leges: non Palladia  
 compacta manu regumque ferens  
 inclita remos quaeritur Argo — 60  
 quaelibet altum cumba pererrat;  
 terminus omnis motus et urbes  
 muros terra posuere nova,  
 nil qua fuerat sede reliquit  
 pervius orbis: 65

Indus gelidum potat Araxen,  
 Albin Persae Rhenumque bibunt —

**'The Prophecy of Nero's Tutor-victim.'**

venient annis saecula seris,  
 quibus oceanus vincula rerum  
 laxet et ingens pateat tellus 70  
 Tethysque novos detegat orbes  
 nec sit terris ultima Thule.

*Medea 301-320, 329-379.*

**2. The Return of Agamemnon.**

*Agamemnon.* Tandem revertor sospes  
 ad patrios laris;  
 o cara salve terra. Tibi tot barbarae  
 dedere gentes spolia, tibi felix diu  
 potentes Asiae Troia submitit manus.

Quid ista vates corpus effusa ac tremens  
 dubia labat cervice? Famuli, adtollite,  
 refovete gelido latice. Iam recipit diem  
 marcante visu. Suscita sensus tuos:  
 optatus ille portus aerumnis adest.  
 Festus dies est.

*Cassandra.* Festus et Troiae fuit. 10

*Agam.* Veneremur aras.

*Cass.* Cecidit ante aras

pater.

*Agam.* Iovem precemur.

*Cass.* Pariter Herceum

Iovem?

*Agam.* Credis videre te Ilium?

*Cass.* Et Priamum

simul.

*Agam.* Hic Troia non est.

*Cass.* Ubi Helena est Troiam puto.

*Agam.* Ne metue dominam famula.

*Cass.* Libertas adest. 15

*Agam.* Secura vive.

*Cass.* Mihi mori est securitas.

*Agam.* Nullum est periculum tibimet.

*Cass.* At magnum

tibi.

*Agam.* Victor timere quid potest?

*Cass.* Quod non timet.

*Agam.* Hanc fida, famuli, turba, dum excutiat

deum,

retinete ne quid impotens peccet furor. 20

At te, pater, qui saeva torques fulmina  
 pellisque nubis, sidera et terras regis,  
 ad quem triumphi spolia victores ferunt,

et te sororem cuncta pollutis viri,  
 Argolica Iuno, pecore votivo libens  
 Arabumque donis supplice et fibra colam.

25

*Agamemnon 782-807.*

## VII. LUCAN.

### 1. The Energy of Caesar.

Caesar in omnia praeceps,  
 nil actum credens cum quid superesset agendum.

*Pharsalia II. 656, 657.*

### 2. Equal Authorities and Opposite Verdicts.

Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem  
 Pompeiusve parem. Quis iustius induit arma,  
 scire nefas: magno se iudice quisque tuetur:  
 victrix causa deis placuit, sed victa Catoni.

*Id. I. 125-128.*

### 3. Cato refusing to consult the Oracle of Jupiter Ammon.

Ille deo plenus, tacita quem mente gerebat,  
 effudit dignas adytis e pectore voces:  
 'Quid quaeri, Labiene, iubes? An liber in armis  
 occubuisse velim potius, quam regna videre?  
 an sit vita nihil, et longa? an differat aetas?  
 an noceat vis ulla bono? Fortunaque perdat  
 opposita virtute minas? laudandaque velle  
 sit satis, et numquam successu crescat honestum?  
 Scimus, et haec nobis non altius inseret Hammon.  
 Haeremus cuncti superis, temploque tacente,  
 nil agimus nisi sponte dei: nec vocibus ullis  
 numen eget: dixitque semel nascentibus auctor  
 quidquid scire licet: steriles nec legit harenas,  
 ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:

5

10

estque dei sedes, ubi terra, et pontus, et aer, 15  
 et caelum, et virtus. Superos quid quaerimus ultra?  
 Iuppiter est quodcumque vides, quodcumque moveris.  
 Sortilegis egeant dubii, semperque futuris  
 casibus ancipites: me non oracula certum,  
 sed mors certa facit: pavido fortique cadendum est. 20  
 Hoc satis est dixisse Iovem.' Sic ille profatur:  
 servataque fide templi discedit ab aris,  
 non exploratum populis Hammona relinquens.

*Id. IX. 564-586.*

#### 4. Cato in the Desert.

Ipse manu sua pila gerens praecedit anheli  
 militis ora pedes: monstrat tolerare labores,  
 non iubet: et nulla vehitur cervice supinus,  
 carpentoque sedens. Somni parcissimus ipse est,  
 ultimus haustor aquae. Cum tandem fonte reperto 5  
 indiga conatur laticis potare iuventus,  
 stat dum lixa bibat. ' Si veris magna paratur  
 fama bonis, et si successu nuda remoto  
 inspicitur virtus, quidquid laudamus in ullo  
 maiorum Fortuna fuit. Quis Marte secundo, 10  
 quis tantum meruit populorum sanguine nomen?  
 Hunc ego per Syrtes, Libyaeque extrema triumphum  
 ducere maluerim, quam ter Capitolia curru  
 scandere Pompeii, quam frangere colla Iugurthae.  
 Ecce parens verus patriae, dignissimus aris, 15  
 Roma, tuis!

*Id. IX. 587-602.*

#### 5. The Character of Cato.

Hi mores, haec duri inmota Catonis  
 secta fuit: servare modum, finemque tenere,  
 naturamque sequi, patriaeque inpendere vitam;

nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.  
 Huic epulae, vicisse famem: magnique penates, 5  
 submovisse hiemem tecto: pretiosaque vestis,  
 hirtam membra super Romani more Quiritis  
 induxisse togam.

Urbi pater est, Urbique maritus:  
 iustitiae cultor, rigidi servator honesti: 10  
 in commune bonus: nullosque Catonis in actus  
 subrepsit partemque tulit sibi nata voluptas.

*Id. II. 380-391.*

## VIII. STATIUS.

### 1. To Sleep.

Crimine quo merui, iuvenis placidissime divum,  
 quove errore miser donis ut solus egerem,  
 Somne, tuis? Tacet omne pecus volucresque feraeque  
 et simulant fessos curvata cacumina somnos, 5  
 nec trucibus fluviis idem sonus, occidit horror  
 aequoris et terris maria adelinata quiescunt.  
 Septima iam rediens Phoebe mihi respicit aegras  
 stare genas, totidem Oetaeae Paphiaequae revisunt  
 lampades et totiens nostros Tithonia questus 10  
 praeterit et gelido spargit miserata flagello.  
 Unde ego sufficiam? Non sunt mihi lumina mille,  
 quae sacer alterna tantum statione tenebat  
 Argus et haud unquam vigilabat corpore toto.  
 At nunc, heu, si aliquis ultro te, Somne, repellit, 15  
 inde veni! Nec te totas infundere pennas  
 luminibus compello meis (hoc turba precetur  
 laetior); extremo me tange cacumine virgae,  
 sufficit, aut leviter suspenso poplite transi.

*Silvae V. 4.*

## IX. MARTIAL.

1. *Misplaced Eloquence.*

Non de vi neque caede nec veneno,  
 sed lis est mihi de tribus capellis:  
 vicini queror has abesse furto.  
 Hoc iudex sibi postulat probari:  
 tu Cannas Mithridaticumque bellum  
 et periuria Punici furoris  
 et Sullas Mariosque Muciosque  
 magna voce sonas manuque tota.  
 Iam dic, Postume, de tribus capellis.

5

VI. 19.

2. *A Wise Precaution.*

Cur non mitto meos tibi, Pontiliane, libellos?  
 Ne mihi tu mittas, Pontiliane, tuos.

VII. 3.

3. *An Improbable Situation.*

Saepe rogare soles, qualis sim, Prisce, futurus,  
 si fiam locuples simque repente potens.  
 Quemquam posse putas mores narrare futuros?  
 Dic mihi, si fias tu leo, qualis eris?

XII. 92.

4. *The Country Resident seeking City Markets.*

Capena grandi porta qua pluit gutta  
 Phrygiumque Matris Almo qua lavat ferrum,  
 Horatorum qua viret sacer campus  
 et qua pusilli fervet Herculis fanum,  
 Faustine, plena Bassus ibat in raeda,  
 omnes beati copias trahens ruris.  
 Illic videres frutice nobili caules  
 et utrumque porrum sessilesque lactucas

5

pigroque ventri non inutiles betas.  
 Illic coronam pinguibus gravem turdis 10  
 leporemque laesum Gallici canis dente  
 nondumque victa lacteum faba porcum.  
 Nec feriatus ibat ante carrucam,  
 sed tuta faeno cursor ova portabat.  
 Urbem petebat Bassus? Immo rus ibat. 15  
 III. 47.

### 5. The Miniature Farm.

Donasti, Lupe, rus sub urbe nobis ;  
 sed rus est mihi maius in fenestra.  
 Rus hoc dicere, rus potes vocare ?  
 in quo ruta facit nemus Dianae,  
 argutae tegit ala quod cicadae, 5  
 quod formica die comedit uno,  
 elusae cui folium rosae corona est ;  
 in quo nec cucumis iacere rectus,  
 nec serpens habitare tota possit,  
 erucam male pascit hortus unam, 10  
 consumpto moritur culex salicto,  
 et talpa est mihi fossor atque arator.  
 Non boletus hiare, non mariscae  
 ridere aut violae patere possunt.  
 Fines mus populatur et colono 15  
 tamquam sus Calydonius timetur.  
 Et sublata volantis ungue Prognēs  
 in nido seges est hirundinino.  
 Vix implet cochleam peracta messis  
 et mustum nuce condimus picata. 20  
 Errasti, Lupe, littera sed una.  
 Nam quo tempore praedium dedisti,  
 mallet tu mihi prandium dedisses.



## 6. 'Carpe Diem.'

Cras te victurum, cras dicis, Postume, semper.

Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit ?

Quam longe cras istud, ubi est ? Aut unde petendum ?

Numquid apud Parthos Armeniosque latet ?

Iam cras istud habet Priami vel Nestoris annos. 5

Cras istud quanti, dic mihi, possit emi ?

Cras vives ? Hodie iam vivere, Postume, serum est :

ille sapit, quisquis, Postume, vixit heri.

V. 58.

## 7. Secrets of Happiness.

Vitam quae faciant beatiorem,

iucundissime Martialis, haec sunt :

res non parta labore, sed relicta ;

non ingratus ager, focus perennis ;

lis numquam, toga rara, mens quieta ; 5

vires ingenuae, salubre corpus ;

prudens simplicitas, pares amici ;

convictus facilis, sine arte mensa ;

nox non ebria, sed soluta curis ;

non tristis torus, et tamen pudicus ; 10

somnus, qui faciat breves tenebras ;

quod sis, esse velis nihilque malis ;

summum nec metuas diem, nec optes.

X. 47.

## 8. After the Great Eruption.

Hic est pampineis viridis modo Vesbius unbris,  
presserat hic madidos nobilis uva lacus.

Haec iuga quam Nysae colles plus Bacchus amavit,  
hoc nuper Satyri monte dedere choros.

Haec Veneris sedes, Lacedaemone gratior illi, 5  
hic locus Herculeo numine clarus erat.

Cuncta iacent flammis et tristi mersa favilla :  
nec superi vellent hoc licuisse sibi.

*IV. 44.*

9. Porcia.

Coniugis audisset fatum cum Porcia Bruti  
et subtracta sibi quaereret arma dolor,  
'Nondum scitis' ait 'mortem non posse negari ?  
Credideram, fatis hoc docuisse patrem.'  
Dixit et ardentes avido bibit ore favillas :  
i nunc et ferrum, turba molesta, nega.

5

*I. 42.*

10. 'Paete, non dolet.'

Casta suo gladium cum traderet Arria Paeto,  
quem de visceribus strinxerat ipsa suis,  
'siqua fides, vulnus quod feci non dolet,' inquit ;  
'sed quod tu facies, hoc mihi, Paete, dolet.'

*I. 13.*

11. Paris' Epitaph.

Quisquis Flaminiam teris, viator,  
noli nobile praeterire marmor.  
Urbis deliciae salesque Nili,  
ars et gratia, lusus et voluptas,  
Romani decus et dolor theatri  
atque omnes Veneres Cupidinesque  
hoc sunt condita, quo Paris, sepulcro.

5

*XI. 13.*

12. Genuine and Counterfeit Grief.

Puella senibus dulcior mihi cygnis,  
agna Galaesi mollior Phalantini,  
concha Lucrini delicatior stagni,  
cui nec lapillos praeferas Erythraeos,  
nec modo politum pecudis Indicae dentem,

5

nivesque primas liliumque non tactum ;  
 quae crine vicit Baetici gregis vellus  
 Rhenique nodos aureamque nitellam ;  
 fragravit ore, quod rosarium Paesti,  
 quod Atticarum prima mella cerarum, 10  
 quod sucinorum rapta de manu gleba ;  
 cui comparatus indecens erat pavo,  
 inamabilis sciurus et frequens phoenix :  
 adhuc recenti tepet Erotion busto,  
 quam pessimorum lex amara fatorum 15  
 sexta peregit hieme, nec tamen tota,  
 nostros amores gaudiumque lususque.  
 Et esse tristem me meus vetat Paetus,  
 pectusque pulsans pariter et comam vellens :  
 ' Deflare non te vernulae pudet mortem ? 20  
 Ego coniugem ' inquit ' extuli, et tamen vivo,  
 notam, superbam, nobilem, locupletem.'  
 Quid esse nostro fortius potest Paeto ?  
 Ducenties accepit, et tamen vivit.

V. 37.

## 13. Epitaph on Little Erotion.

Hanc tibi, Fronto pater, genetrix Flacilla, puellam  
 oscula commendo <sup>illius</sup> deliciasque meas,  
 parvula ne nigras horrescat Erotion umbras  
 oraque Tartarei prodigiosa canis.  
 Impletura fuit sextae modo frigora brumae, 5  
 vixisset totidem ni minus illa dies.  
 Inter tam veteres ludat lasciva patronos  
 et nomen blaeso garriat ore meum.  
 Mollia non rigidus caespes tegat ossa, nec illi,  
 terra, gravis fueris : non fuit illa tibi. 10

V. 34.

## X. JUVENAL.

## 1. The Life of the Poor at Rome; its Dangers and Discomforts.

